

ternus civitatem Argentoracum^a predicationis causa ingreditur. Cumque incolas de sacrilega idolorum cultura argueret et sacra ipsorum destruere temptaret, cives ira commoti ipsum cum sequacibus suis extra opidum non sine iniuria propellentes eiecerunt. At illi repulsam suam Domino committentes et pulverem pedum suorum super ipsos iacentes ad relictum habitationis sue locum repedare temptabant.

Cumque in itinere essent constituti, beatum Maternum repentina febris invasit; quem cum humeris suis impositum secum ferre temptarent, spiritum exalavit. At illi rerum inopia ac labore fatigati simulque feritatem barbare gentis metuentes flumen Illam^b transierunt ipsumque in loco deserto ac solitario cum maximo luctu ac fletu sepelierunt. Unde etiam^c usque in hodiernum diem locus idem Elegium propter elegos, qui ibi profusi^d sunt, est vocitatus.

II^c. His ita peractis beatissimi Eucharis et Valerius pro amissione magistri Romam ad beatum Petrum redire disponunt. Iter itaque arripientes — quod est mirabile dictu — quinto decimo die urbem Romam ingressi ad beatum Petrum^e pervenerunt eique de adversis casibus ac de morte magistri non sine luctu sunt conquesti. At ille leto, ut erat, vultu subridens ait: 'Fratres, nonne hec sunt verba, que recedentibus vobis sepius intimavi: quia oportet nos multa pati pro nomine Christi et per multas tribulationes oportet nos intrare in^f regnum Dei?' Deinde conquerentibus de morte magistri subiungens ait: 'Frater noster Maternus aliquantulum tardius dormire solebat; nunc vero nimio sopore deprimitur. Sed nunc, fratres, summa^g cum festinatione remeantes hoc certissimum ei signum, baculum videlicet meum, in manibus ponite hec dicentes: 'Frater Maternus! Petrus apostolus domini nostri Iesu Christi hec tibi denuntiat, ut in nomine patris et filii et spiritus sancti resurgas et iniunctum tibi predicationis officium peragas'. Dehinc benedictione sua communitos dimisit^h alacres et letos.

At illi summa cum festinatione, ut iussum fuerat, pergentes quinto decimo demum die in Alsatiā, unde venerant, revertuntur convocantesque turbam fidelium retulerunt illis, quicquid eis a beato Petro dictum vel iussum

a) 'Argentoracum' B; 'Argentīnam' PS = Mader. b) B = Mader; 'Illum' P; 'Yllum' S. c) Fehlt in N (nach Hegel, Strassb. Chroniken II, 710, N. 1). d) 'perfusi' N. — Von hier an kommt der kurze Auszug bei Mader nicht mehr in Betracht. e) 'ad ipsum' S; 'ad Beatum' P. f) 'intra' P; fehlt in S. g) 'maxima' P; fehlt in S. h) 'dim. eos' PS.